

CAPUT II.

DE SOCIETATE ET TRINO CONTRACTU

ARTICULUS I. — DE SOCIETATE

917. — Contractus societatis est conventio de re aliqua in communi possidenda ad commune bonum, aut lucrum pro rata parte percipiendum.

Dico I. Omnis societas fieri debet de re licita et honesta, necnon ad commune bonum contrahentium. Singuli autem socii in societatem afferre debent pecuniam, aut merces, aut industriam, vel operam. — *Ita ex omni iure.*

Dico II. Contractus societatis est modus legitimus negotiationem faciendi. Constat 1^o ex legibus civilibus omnium nationum; 2^o ex usu universali omnium populorum; 3^o ex iure naturali: non enim minus licitum est pluribus coniunctim, quam singulis ex suis rebus lucrum facere, modo debita aequalitas servetur.

Dico III. Conditiones requisitae sunt, 1^o ut sit aequalitas, id est, divisio lucri pro rata rei collatae; 2^o ut ad certum tempus ineatur societas, et ante non liceat suum repetere; 3^o ut periculum sortis spectet ad dominum, nisi aliter pactum initum fuerit; 4^o ut quisque subeat onus damnorum et expensarum, quae intuitu societatis adveniunt; 5^o ut quisque diligentiam eandem adhibeat in societate, ac in negotiatione privata. — S. Lig. n. 905.

918. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quomodo solvatur societas?*

Resp. Contractus societatis solvitur 1^o lapsu temporis, ad quod factus est; 2^o interitu rei, vel fine negotiationis; 3^o morte naturali vel civili unius e sociis; 4^o interdictione alterutrius socii, vel decoctione seu bonorum subversione; 5^o impossibilitate rem promissam praestandi (1).

QUAER. 2^o *Quid, si quis invito socio ante tempus e societate recedat?*

Resp. Tenetur damnum compensare, nempe solvere lucrum cessans pecuniae ab ipso praestandae, aut reddere lucra industriae suae. — V. *Casus*, n. 981. et seq.

ARTICULUS II. — DE TRINO CONTRACTU

919. — Contractus trinus est, quo quis pecuniam conferens paciscitur cum alio socio, ut quidquid eveniat, summa integra sibi restituatur cum lucro certo, minore tamen eo lucro, quod sperare probabiliter poterat; vel est contractus societatis, cui adiunguntur duo alii contractus, nempe

(1) Per haec Auctor non vult excludere, quominus etiam mutuo sociorum consensu legitime societas solvi possit.

assecuracionis sortis et assecuracionis lucri, seu venditionis spei lucri maioris percipiendi pro minore lucro certo et assecurato. Sic autem instituitur. Contraho, v. gr. cum Petro, pecuniae summam ei tribuendo ad negotiandum. Sed cum spes lucrandi 15 pro 100 mihi affulgeat, et timeam ex alia parte, ne sortem amittam, in eo secundum contractum cum Petro, ei 5 pro 100 erogando, si assecuracionem sortis in se suscipere velit. Inito hoc secundo contractu, iam 10 tantum pro 100 mihi lucrandi supersunt. Verum lucrum adhuc minus at certum mallem, quam maius et incertum. Igitur propono socio meo, ut mihi 5 tantum pro 100 tribuat, sed certo refundat, quidquid superventurum sit. Hinc triplex datur contractus, scilicet societatis, assecuracionis sortis, et assecuracionis lucri.

QUAER. *An trinus contractus sit licitus?*

Resp. Duplex est sententia *probabilis* inter Theologos.

1^a **SENTENTIA** *negat.* Ratio est, 1^o quia sic destruitur societas, cuius natura est, ut pericula sint communia; ergo est verum mutuum; ergo deficit titulus seu fundamentum lucri percipiendi, saltem supra taxam legis pro mutuo; 2^o quia, aiunt, opposita doctrina a Sixto V reprobata est per Bullam *Detestabilis*, anno 1586. — Collet. — Habert, etc.

2^a **SENTENTIA** *communiter affirmat* (modo pecunia in negotiatione impendatur). Ratio est, 1^o quia hi singuli contractus separatim et cum diversis personis sunt de se liciti et iusti; ergo etiam si fiant simul et cum eodem; 2^o quia nihil est contra aequalitatem: nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam aequaliter sustinetur; 3^o quia Benedictus XIV declarat, in opere *de Synod. dioeces.* lib. 10. contractum trinum a Sixto V non esse damnatum, nec illum damnare intendere. Et in Encyclica *Vix pervenit...* dicit, se nolle damnare contractus, de quibus inter Theologos disputatur. — Vide S. Lig. n. 908.

CAPUT III.

DE LOCATIONE

920. — Locatio est contractus, quo usus, vel fructus rei, aut personae opera pro certa mercede ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur. Qui rem tradit in usum vel utilitatem alterius, dicitur *locator*; alter *locatarius* seu *conductor* nuncupatur. Porro variae numerantur locationis species: 1^o locatio aedificiorum; 2^o agrorum; 3^o animalium; 4^o laboris et famulatus. — *Cod. civ.* Gall. art. 1711.

Ad contractum locationis aliquatenus accedunt *emphyteusis* et *feudum*. *Emphyteusis* est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, vel in perpetuum, vel saltem ad 10 annos, cum onere solvendi pensionem annuam domino directo. *Feudum* vero est contractus

emphyteusi similis, seu traditio rei immobilis ad dominium utile, cum onere exhibendi domino directo obsequium seu fidelitatem. Differunt tamen emphyteusis et feudum a locatione, quia nequeunt constitui nisi in re immobili, nec ad brevius tempus, quam ad decennium.

I. Regulae locationis generales.

921. **Principia.** — 1^o Locatio fieri potest scripto aut verbo; at si verbo solum fiat, probatio per testes non admittitur in *Iure Gallico*, nisi executio iam incepta fuerit: iuramentum tamen a parte negante exigere potest. — 2^o Locatarius potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat. — 3^o Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad heredes transit (*). — 4^o Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneatur iuxta locorum consuetudinem et rei locatae naturam. — 5^o Si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus (1).

II. Obligationes locatoris.

922. — 1^o Tenetur aperire vitia noxia rei locandae. — 2^o Praestare debet, ut locatarius tranquille ea fruatur. — 3^o Expensas necessarias rei locatae reparandae sustinere ipsi incumbit. Non tenetur tamen ad expensas minutas, ut mox dicetur. — 4^o Formam rei locatae absque consensu locatarii mutare nequit. Reparationes tamen necessarias, etiam invito conductore, facere potest, nec quodcumque damnum inde exurgens compensare tenetur (art. 1724.).

III. Obligationes locatarii.

923. — 1^o Debet uti re locata tanquam bonus paterfamilias, ad solum finem locationis. — 2^o Tenetur ea reficere vel reparare, quae culpa ipsius perierunt, aut deteriora facta sunt. — 3^o Imo in foro externo tenetur de omnibus damnis, quae subit res locata, nisi ea, seclusa sua vel subditorum culpa, evenisse probaverit. — 4^o Modicae reparationes, quae dicuntur *locativae*, ad ipsum spectant, v. gr., reficere vitra, etc.

924. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quid iuris, si domus locata incendio pereat?*

Resp. 1^o In foro conscientiae locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla

(*) Haec in iure Romano valent et in Gallico artt. 1717. 1742. et in Italico artt. 1573. 1596.

(1) Quintum hoc principium valet iuxta ius gallicum (art. 1743.), non vero generatim iuxta ius romanum (L. 9. C. De

locato et conducto). Vid. Lugo (disp. 29. n. 16.).

(**) Ita et C. I. art. 1597. Uterque tamen codex exceptionem addit, nisi locator reservaverit sibi ius solvendae locationis, si rem venditurus esset.

eius culpa etiam iuridica fuerit incensa; imo *probabiliter* etiamsi ex sola culpa iuridica perierit.

Resp. 2^o In foro externo locatarius de damno tenetur, nisi probet, illud accidisse citra ullam, etiam iuridicam, suam culpam, ut supra dictum est (art. 1734.) (*).

QUAER. 2^o *Quid speciatim de locatione operum?*

Resp. 1^o Locator famuli vel operarii tenetur cum eo de iusta mercede convenire, qualis est, quae communiter talibus dari solet.

Resp. 2^o Si determinatio mercedis fuit relicta ad conductoris arbitrium, hic iustam, saltem infimam, dare debet. Herus autem famulum ante tempus dimittens sine sufficienti causa, damnum inde emergens resarcire tenetur.

Resp. 3^o Si famulus vel operarius ultro sese offerat, tuque eo non egeas, sed ex charitate tantum suscipias, quid ei dare debeas, *recole dicta de Iustitia* n. 625., et vide S. Lig. n. 522.

925. — **QUAER.** 3^o *An locatarius agrorum teneatur integram pensionem solvere in casu sterilitatis ob grandinem, vel aliud infortunium extraordinarium?*

Resp. Neg. Licet enim videatur in rigore iustitiae de iure naturali ad id teneri, attamen consuetudine generali introductum est, ut si ingens sit iactura, aliquid remittatur, et damnum ex aequo ab utroque subeat. Excipe, nisi ex fructibus per alios annos perceptis aequa detur compensatio. — S. Lig. n. 860.; et ex utroque *Iure Romano et Gallico confirmatur* (**).

QUAER. 4^o *An tributum solvendum sit a locatore, an a locatario?*

Resp. 1^o *Per se* seclusa speciali conventionione locator tributa solvere debet; quia non solum est rei dominus, sed ne usumfructum quidem transtulit, nisi modo successivo et de die in diem. Secus autem de usufructu pleno et proprie dicto, ut dictum est supra n. 593.

Resp. 2^o *Ex Iure Gallico*, locator solvit tantum tributa fundo imposita. Tributa autem pro ianuis et fenestris a locatario solvenda sunt; sed non solvente eo, qui solvere debet, fiscus actionem in alterum habet, salvo tamen recursu posterioris in priorem.

926. — **QUAER.** 5^o *An nuntius proficiscens in certum locum, licite possit a pluribus integram accipere mercedem?*

Resp. 1^o De aurigis nulla difficultas, quia talis est consuetudo. — *Ita communiter Theologi.*

Resp. 2^o De nuntio duplex est sententia probabilis. — *Recole dicta supra*, n. 757. — V. *Casus*, n. 973. et seq.

(*) Consentit C. I. artt. 1588. 1589. | (**) C. G. art. 1769. C. I. art. 4617.

CAPUT IV.

DE CAMBIO

927. — Cambium est permutatio pecuniae cum aliquo lucro camporis. Cambium tamen in genere idem sonat, ac permutatio sive in pecunia sive in aliis rebus.

Cambium varium distinguitur, scilicet.

1^o Cambium *manuale* seu *minutum*, et cambium *locale* seu *per litteras*. Prius fit, cum permutatur pecunia unius formae vel materiae cum pecunia alterius formae aut materiae. Posterius autem locum habet, quando pecunia praesens commutatur cum pecunia absente et alio loco solvenda.

2^o Cambium *reale* seu *verum*, et cambium *fictum* seu *siccum*. Prius illud est, quo pecunia cum alia reapse commutatur. Posterius vero illud est, quo permutatio fingitur, sed non est aliud nisi mutuum palliatum, uti, v. gr., cum datur pecunia tamquam in alio loco recipienda, quae tamen in hoc ipso loco recipitur.

3^o Cambium *fictum* sic fieri solent: v. gr. *Titius* indigens pecunia in hoc praesenti loco, 100 nummos a campore postulat. Campsor autem non aliter dat, nisi in loco distante solvendo, petitque ab eo pretium, quod pro locis similibus exigitur. *Titius* vero pecuniam accipit, et tamen non cogitat de pecunia in tali loco reddenda, idque campori manifestum est. Unde contractus ille est merum mutuum palliatum (1).

928. **Principia.** — I. Licitum est cambium *reale*, sive minutum sive locale, modo servetur aequalitas, aut lucrum non excedat iustum pretium determinatum lege vel locorum consuetudine. Ratio est, quia sunt varii tituli, ex quibus campsor lucrum percipere potest, scilicet 1^o pecuniae assecuratio usque ad locum assecurationis; 2^o locatio operae et officii ad numerandam et transmittendam pecuniam; 3^o damnum emergens ex infortuniis debitorum; 4^o expensae et curae in detinendo telonio. — S. Lig. n. 851.-852., et alii.

II. Illicitum est *per se* cambium *fictum*. Ratio patet; nullus enim est in eo titulus lucrum accipiendi, cum nullum fiat cambium proprie dictum, siquidem nulla est realis pecuniae translatio, sed tantum ficta, unde non est nisi mutuum palliatum. — *Ita omnes.* — S. Lig. n. 853. — Dixi *per se*, quia ratione mutui licet sequi huius contractus leges, iuxta dicta supra, n. 863.

(1) Huius contractus nulla nunc consuetudo adest, nec necessitas aut occasio.

S. Pius V in Bulla de cambiis varias apposuit restrictiones circa cambium: Haunoldus tamen eam in paucis locis vigere saltem quoad omnia in ea contenta testatur. De ea loquitur S. Lig. n. 852.

929. — **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An licitum sit cambium eis, qui officium publicum cambiendi non habent?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia eadem militant rationes; quisque enim ius habet ad lucrum pro labore et industria sua. Sed cavere debent isti campsores, ne lucrum maius aequo exigant. — Ita S. Lig. n. 851. — Salmant. c. 4. n. 8. — Carrière, n. 1038.

QUAER. 2^o *An licitum sit cambium vulgo dictum Francofurtense, in quo campsor dat pecuniam in proximis nundinis reddendam, ita ut lucrum maius pro maiori dilatione exigatur?*

Resp. 1^o Affirm., si sit titulus lucri cessantis, damni emergentis, etc. — S. Lig. n. 854.

Resp. 2^o Secus controvertitur; sed *probabiliter* leges civiles pro mutuo in hoc sequi licet, iuxta dicta superius, *ubi de Usura*, n. 863.

930. — QUAER. 3^o *Quid campsores recipere possint ratione mutui?*

Resp. Recipere possunt 6. pro 100., iuxta taxam legalem pro mercatoribus, quia quamdam mercaturam pecuniae exercent. Ordinarie enim campsores multa pecunia, ut tali officio fungi possint, multisque ministris indigent, ac variis periculis exponuntur. Imo in variis locis permittitur ipsis accipere 7. pro 100. ob pericula et labores, quos subire debent ad pecuniam alio transferendam, eamque assecurandam. — V. *Casus*, n. 988. et seq.

CAPUT V.

DE CENSU

931. — Censu est ius pensionem annuam percipiendi ex re vel persona. Censu potest esse multiplex, scilicet

1^o *Reservativus*, id est pensio annua percipienda ex re quoad fundum alienata.

2^o *Consignativus*, id est pensio annua percipienda ex re vel ex persona ex titulo emptionis.

3^o *Realis*, vel *personalis*, prout pensio in re frugifera constituitur, vel in personae labore et industria.

4^o *Temporarius*, vel *perpetuus*, aut *vitalitius*, prout constituitur ad tempus, v. gr. ad 20. annos, vel in perpetuum, vel ad vitam hominis.

5^o *Redimibilis* ex una vel utraque parte, prout ad nutum alterutrius vel utriusque redimi potest; vel *irredimibilis*, si ex pacto venditor

seu censuarius se liberare non possit per capitalis restitutionem: tunc emptor, seu censuarius necessario ius suum in censum servat (*).

932. **Principia.** — I. Quilibet census reservativus est licitus, quia quilibet rei suae proprietatem transferens, potest partem fructuum illius sibi reservare, modo pro rata reservationis pretium imminuat.

II. Census consignativus realis, tum fructuarius, tum pecuniarius est licitus, quia ius ad partem aliquam ususfructus, vel ad pensionem annuam vendere et emere licet.

III. Conditiones eadem generatim ad censum requiruntur de iure naturali, ac ad venditionem: scilicet 1° bona fides; 2° assecuratio sufficiens ex parte censuarii erga censualistam; 3° pretium iustum, quod lege vel aestimatione communi determinatur.

933. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An census consignativus personalis sit licitus?*

Resp. Affirm. saltem de iure naturali, modo serventur debitae conditiones; quia ius recipiendi pensionem ex alterius labore, industria, etc..., tam est pretio aestimabile, quam ius illam percipiendi ex re frugifera. — *Illa communiter.* — S. Lig. n. 839., contra *alios* negantes, quia persona vendi nequit. Ex *Iure Gallico* nemo operas obligare potest, nisi ad tempus, vel pro negotio determinato (1780.) (**).

QUAER. 2° *An census redimibilis sit licitus?*

Resp. Affirm. saltem ex parte censuarii, sicut retrovenditio licita esse potest. — In iure Gallico omnis census est essentia sua redimibilis; sed pacisci licet, ne redimi queat ante 30. annos, sicut pretium vel conditio alienationis rei immobilis (330., 1911.) (***)

934. — QUAER. 3° *An possit esse redimibilis ex utraque parte?*

Resp. Affirm., probabilis, quia est vera venditio, et emptor non debet esse deterioris conditionis ac venditor, modo sit bonae fidei, et aliunde aequalitas servetur. — S. Lig. n. 843. — Less. — Laym., contra *alios.*

QUAER. 4° *An licet emere currente pretio census annuos in Gubernio fundatos, vel actiones a nummulario publico (gallice actions de la banque)?*

(*) Qui, accepto immobili vel capitali aut ex gratuita institutione debet pensionem seu censum, vocatur *censuarius, venditor (census) debitor*, alter *censuarius, emptor, creditor.*

(**) Ita et C. I. art. 1628.

(***) Ex iure italico constituere quis sibi potest redditum annuum cedens alteri immobile aut capitale, quod cedens se obliget

ad non amplius repetendum art. 1778. Ita sane solent apud statum redditus annui civibus constitui. Potest tamen constitui redditus vel perpetuus, ut et ad heredes transeat, vel ad vitam creditoris art. 1779. Reditus quilibet perpetuus est essentialiter redimibilis a debitore non obstante quovis contrario pacto art. 1783.

Resp. Affirm. Venduntur enim ut merces, pretio crescunt vel decrescunt iuxta communem aestimationem.

935. — QUAER. 5° *An licitus sit census vitalitius?*

Resp. Affirm. Est enim contractus aleatorius, nec ullatenus iuri naturali repugnat, et a lege civili approbatur.

Sequentes autem conditiones requiruntur:

1° Habenda est ratio aetatis vel sanitatis personae.

2° Pretium se extendere ordinarie non debet ultra 15. pro 100.

3° Censuarius non potest se redimere, nisi ex voluntate censuariae (*), nec censuarius capitale repetere potest, nisi in quantum censuarius promissas securitates non praebeat (**).

4° Census non exstinguitur morte civili censuariae, sed transit ad eius heredes usque ad eius naturalem mortem (1982., 1983.). — V. *Casus*, n. 1005. (***)

CAPUT VI.

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS, SEU DE FIDEIUSSIONE, PIGNORE ET HYPOTHECA

Contractus isti dicuntur subsidiarii, quia adhibentur ad securitatem alterius contractus. De singulis breviter dicemus.

ARTICULUS I. — DE FIDEIUSSIONE.

936. — Fideiussio est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis.

937. **Regulae fideiussionis.** — 1° Nemo fideiussor esse potest, nisi liberam bonorum administrationem habeat. Ex *Iure Gallico* requiritur insuper, ut fideiussor habitet in territorio curiae regiae, ubi fideiussio praebenda est (Art. 2018.) (****).

2° Qui principaliter obligari non possunt, fideiubere non valent: tales sunt pupillus, minor, Religiosus, uxor, saltem sine consensu tutoris, curatoris, Superioris, mariti.

3° Fideiussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus

(*) Quantumvis gravis ei evadat solutio pensionis, ait C. I. art. 1798.

(**) Ex iure I. potest in hac hypothesis censuarius solum exigere sequestrum et venditionem bonorum censuarii, ut ex pecunia accepta constituatur capitale quod pensioni sibi debitae sufficiat art. 1797.

(***) Ita et C. I. art. 1801.

(****) Cum debitor quis fideiussorem dare tenetur, hic domicilium habeat oportet in loco iurisdictionis curiae, quae appellationes excipit, in qua fideiussio exhibenda est. C. I. art. 1904.

debitoris, sed solummodo in illius defectu, seu impotentia, et quidem iuridice probata.

4^o Fideiussor, qui pro debitore solvit, omnibus creditoris iuribus subrogatur, et proinde recursum in eundem debitorem habet, ut ab eo repetat, quidquid eius loco solvere coactus fuit.

5^o Obligatio fideiussoris ad ipsius heredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero mere personalis. — V. *Casus*, n. 1007.

ARTICULUS II. — DE PIGNORE.

938. — Pignus est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti. — Pignoris nomine venit etiam res oppignorata.

Regulae pignoris. — Ex parte *debitoris* pignus tradentis. Debet 1^o tradere creditori pignus idoneum; 2^o refundere creditori, impensas necessarias, quae factae fuerint ad rei conservationem; 3^o pignus non repetere, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

II. Ex parte *creditoris* pignus accipientis. Debet 1^o non uti re sibi credita, nisi de consensu debitoris; 2^o diligenter pignus custodire; secus de damno tenetur; 3^o fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad aequalitatem scilicet servandam; 4^o non vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit. Ita de iure naturali et positivo.

Pignori accedit contractus qui *antichresis* nuncupatur. Est autem *antichresis* pignoris species, qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris, usquedum debitum solvatur. — S. Lig. n. 916. (1). — V. *Casus*, n. 1010.

(1) S. Alphonsus, seu potius Busembaum (nam merum huius textum de hac re S. Alphonsus profert), mox addit hanc resolutionem: *Contractus hic videtur iuxta Caietanum, Sotum, etc. (contra quosdam iuristas) esse usurarius, quia creditor ultra sortem aliquid lucratur, causa solius mutui, quae est usura.* S. Alphonsus autem in notula intra parenthesis addit (lib. 3. n. 916.): *Et certum est cum Palao apud Croix, n. 1115. Attamen (ibid.) rata habet, quae dein subiicit Busembaum (Resol. 2.): Possunt tamen intervenire tituli iusti lucrandi fructus ex pignore sine diminutione sortis; ut si, v. gr., fructus*

ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quae iure census super eandem constituti exigi potest cum pacto redhibitionis, ut supra dictum est de censibus: aut si alioquin lucrum esset, aut damnum emergat, dum debitum differtur. Unde non facile damnandi illi, qui a Principibus in locum debitorum agros, pascua, officia, etc. in antichresim habent. Vide Laym. et Binfeld. *De Usuris, Mol., etc.*, Lessium cap. 137. Quibus addi possunt et illa, quae de lucro ex pecunia credita citra iniustitiam percepto superius, ubi de mutuo, dicta sunt.

ARTICULUS III. — DE HYPOTHECA.

939. — Hypotheca est contractus, quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit.

Triplicis generis distinguitur hypotheca: nempe legalis, iudicialis, et conventionalis.

1^o Hypotheca *legalis*, quae etiam *implicita*, seu *tacita* dicitur, ea est, quae vi solius legis, et absque ulla speciali conventionione instituitur: sic uxor hypothecam habet in cunctis bonis mariti pro dote recuperanda.

2^o Hypotheca *iudicialis* illa est, quae ex iudicis decreto statuitur in gratiam eorum, qui causam obtinuerunt: si v. gr. iudex aliquem damnat ad certum damnum resarciendum, vi illius sententiae cuncta bona immobilia damnati, praesentia et futura, pro damno hoc reparando hypotheca gravantur. Requiritur autem, ut haec iudicis sententia apud hypothecarum conservatorem inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim obtinet.

3^o Hypotheca *conventionalis*, seu quam partes mutua conventionione inter se statuunt, est contractus solemnns, quo persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat in debiti determinati assecurationem et solutionem. Debet igitur fieri coram notario (*) cum certis formalitatibus sub poena nullitatis in foro saltem externo, et a persona ad contrahendum habili, seu quae liberam habeat bonorum suorum administrationem; hinc minores, interdicti, uxores non possunt aliquid in hypothecam tradere (Art. 2124. et seq.). — V. *Casus*, n. 1015.

CAPUT VII.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS

940. — Varii sunt generis: assecuratio, sponsio, sortitio, seu loteria et ludus. Dicuntur aleatorii, quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii.

ARTICULUS I. — DE ASSECURATIONE.

Assecuratio est contractus, quo unus periculus alicuius rei in se suscipit, et alter ad pretium pro suscepto huiusmodi periculo se obligat. Sic variis in urbibus existunt societates, quae assecurant, v. gr. domos contra incendium, navigia contra naufragia, etc.

941. **Quaesita.** — QUÆR. 1^o *An sit licitus assecurationis contractus?*

Resp. Affirm. Aequalitas enim servatur, concurrentibus debitis conditionibus, ut fatentur communiter Theologi, et praxis quotidiana confirmat.

(*) C. I. postulat aut actum publicum aut scripturam privatam art. 1978.